




Zur  
Gräfl. vom Hagen'schen  
Majorats - Bibliothek



MÖCKERN  
gehörig.


No 2328

subl.  
auf Ja 2400

= 00  
000  
000









L431



BALTH. EXNERI  
nuper

**P**ARODIAE

THOPOEIAE

HORATIANAE

DICTAE

LIBER SECVNDVS.

Hoc est:

IN

Q. Horatij Flacci

librum secundum Odarum

PARODIAE.



LIPSIAE,

ANNO Dei-Hominis

CIO. IO. CI.



S\*✱\*S\*✱\*S\*✱\*S\*✱\*S\*✱\*S\*✱

LECTORI MEO

SALVTEM.

**E**Didi nuper, mi Lector, libellum  
quem tam Parodiarum, quem inscripsi  
Ethopœiam Horatianam. Idq; non  
sine accurato consilio amicorum, non de vulgo: sed  
qui super vulgum. Tu verò, si hic titulus, quod  
animus mihi presagit, tibi non arridebit, mone,  
objurga. Non credis, quàm libenter obtemperem  
ad meliora me monentibus. Scio namq;, quam fa-  
cilè sit, errare; & verè tanquam ex tripode pro-  
fatus est Plautus: Qui cavet, ne decipiatur,  
vix cavet, cum etiam cavet. Etiam cum ca-  
visse ratus, læpe is cautor captus est. Gemma  
quædam aceto macerata mitescunt, pleraq; melle  
decoctæ: ita quosd. meliores reddit acris obiurga-  
tio, quosd. admonitio blandior. Me utraq;. Cui  
enim, quod à candido animo proficiscitur, non li-  
benter admittam? Homo sim, qui sui ipsius hono-  
ris & famæ nullam rationem habeat, si in errati  
perseverare malim, quàm ea emendare. Nempe  
in hanc faciem te alloqui volui; ad aliam alij,  
Velle cuiq; suum est  
inquit Satyricus. Tu vale & mihi faue.

AMPLIS.



AMPLISSIMIS ET  
SAPIENTISSIMIS

VIRIS:

Dn. IOANNI ALBERTO  
&

Dn. MELCHIORI TILESIO,  
Inclytæ Reipub. Hirschbergenſis  
Senatoribus.



*Vo equidem, Viri Amplissi-  
mi, ab editione huius libri me de-  
terrere debebant. aliorum scilicet  
in iudicando temeritas: & deinde  
nimia scribentium leuitas. Quotus enim quis  
est, qui hodie in Parnassi vertice non somniaue-  
rit, & in istis aliquid videat, qui alias nihil videt?  
Criticum Senatum non reprobio: sed plebem fecu-  
lentam. illius moneor acuta: huius commoueor  
hebet: falce, qua hodie maxime frequens. Rarus  
est, qui bona laudet minus, congrua lenitate &  
vni suorum sua corrigat. Plurimi sunt adeo Ther-  
suri, qui non mansuetudinis & charitatis spiritu,  
uncto: verum atro virulentiae saie perjuso, atq;  
venenatis maledicentiae aculeis infesto ore, qua*



## P R Æ F A T I O.

vix primis attingere labris, mentem sepius præcurrente linguâ, è vestigio mordeant, & quoniam ipsi amussitatum & exasciatum quiddam in lucem mittere nequeunt, non nisi additis & intentis digitis ingeniosi esse affectent, famamq; sui viuis cum Herostrato Ephesio ab obuiuionis situ vindicare conentur. Ita liuor, vt Arystonimus dicebat, veluti flagitiosus Imperator, arma convertit in Ciues bonos & innoxios: Et qui excellere in aliquâ re student, statim afflat & aduru indignationis illâ aurâ. Sed hoc non est nouum & inauditum quiddam. Alexander certè Macedoniæ Rex potentissimus, Perdiccam odebat, eò quod esset bellicosus: Lysimachum, quod militandi peritus: Seleucum, quod magni animi: Attalum, quod Imperatoriâ dignitate polleret: Ptolemæum, quod ei orania succederent. Sic bonos viros, qui per virtutem primum locum tenebant, inuidi oppugnauere: Periclem Simia, Alcmaeon Themistoclem: Pompeium Clodius: Epaminondam Meneclides Orator. Nos ergò Cluuinum pecus, & bucorum blennorumq; insultus, qui Apulorum & Vmbrorum morositati antestare laborant, atq; Alcatos dentes, Æacidinas minas, Opicorumq; mores & insaniam, æquo feramus animo, & cogitemus, decet, quod nobis insufurrat Senecæ Genius:



P R Æ F A T I O.

Vitiis genus contumeliosissimum est, non esse Vitium dignum, ex quo peteretur vitio.

In videt quispiam, hoc ipso se inferiorem ostendit. Nam plerumq; apud infimos habitat, & in altos dirigit livida illa Dea; inquit Lipsius. Et placet illud Alexandri Macedonis dictum: Invidos homines nihil esse aliud, quam tormenta, seu tortores suos propios. Ut enim ferrum æruginè consumitur: sic invidi suo pte ingenio. Itaq; parùm me hæc movebat: magis autem, quod nunc nimium

———— tenet insanabile multos

Scribendi cacœthes ————

Paucorum scribendi officium esse autor est Petrarca. Quis autem id hodiè sibi non arrogat & usurpat? Quotidiè scribunt plures, quotidiè peius, & libros novos faciendi secundùm Hebræorum sapientem nullus est finis. Tam publicus, contagiosus & insanabilis morbus.

Qui forsan utilius ararent campum, gregem pascerent, telam texerent, maria navigarent, cudent libros, & ita, ut Cicero de scripturientibus in Tusculan, loquitur, intemperanter abutuntur ocio & literis. Itaq; sit, quemadmodum idem inquit: ut libros suos ipsi legant cum suis, nec quisquam attingat, præter eos, qui eandem scribendi



P R A E F A T I O.

licentiam sibi sumunt. Quam diu verò eiusmodi libri in manibus hominum voluantur, verè doce: Plato apud Stobœum in Eclog. Ethic qui eo comparare solebat cum Adonis hortis, qui subito & die vno nati, celerrimè pereunt. Quà etate tanta scribentium copia fuit, tanta scientium inopia? O insaniam! & mirantur si papyrus subito carior sit? Ego etiam intra pelliculam meam mansissem, inq; in hanc arenam descendere non ausus fuisset, nisi me ad publicationem tam brevis, quàm alius generis scriptorum invitasset viri quidam apud exteros in omni doct. inarum genere exercitatissimi: & vos quoq; Viri Amabilissimi, ut ista ederem, admonuissetis sedulo. Ea igitur & vobis offero. Cui etiam iustias quàm his, qui ad patriam meam, cui mea omnia & res ipsum totum debeo, gubernacula sedent, hæc & alia, quandoquidem amantur & fouentur, oblata & obligata velim? Verè in hac nostrâ patria Repub rediit vi atq; restituta quadam fecunditate, antiqua literatura in suum decus repullulascit. Hæc non curâ, susq; deq; adhibitâ: sed accurato iudicio, multivariâ scientiâ, & singulari prudentiâ à vobis peraguntur. Quid enim hodiè χαριτωρ τῆς ἑμῆς M. Kretschmero sapientius? quid doctius & iudicio? certè voces istius sunt meri μελιχάριος ὑμνοί, quos γλώσσα φερωνε ἐρέλοι βαθείας. Quis

quæso,



P R A E F A T I O.

quæso, humanitate blandior & utroq; jure cultior  
 Syllabachio: Id enim apte de eius inclytâ fami-  
 liâ dici poterit, quod olim de Alcimedonte Pin-  
 dârus: κατὰ κρῦπτον δ' οὐ κόνει συγώνων κεδνὰρ  
 χάρις. Quid prudentius Scholzio & Filchero?  
 Mehercules si ἀκρόσοφορ consuleres, his melio-  
 res non daret. De vobis profari aliquid modestia  
 vetat, & laudari in os molestum est. Experitur  
 patria, audit Curia, laudant Ciues. Hoc etiam non  
 fit sine Deo; quod etiam Thebanz illa aquila  
 mente oculatissimâ cecinit: ἐκ δεῦρ δ' ἀνὴρ σφᾶις  
 ἀνθεῖ ἔσαι πρᾶπίδεσιν. Verè gaudeo, patriâq;  
 meâ gratulor, eam sic euectam, ut pauca sint  
 hodiè in Silesia nostrâ ciuitates, quibus non cer-  
 tare possit. Et quod olim Pindarus de Corin-  
 tho scripsit, rectè de hac nostra patria cani po-  
 test: ἔν τᾷ δὲ ἰεωμοίαν ἄναι, κασίγνηταί τε, βᾶ-  
 θρον πολίων, ἀσφαλὴς δίκαι, κὴ ὁμότροπον  
 εἰρᾶνα ταμίαι, ἀνδράσι πλῆστον χύσειαι πᾶ-  
 δεσ εὐβόλῃ δέμιτρον. Et has ob causas, ut sem-  
 per, ita & hodiè viuere in ea mihi dulce est. Sed  
 frustrâ ego hæc laudum præconia: quin illud po-  
 tius Ægyptiorum Sacrificorum more imitabor,  
 qui Deos suos inarticulata voce colere solent, quo  
 plurima cupientes, sese facultate destitui signifi-  
 carent. Quid laboris mihi hic libellus confecerit,  
 iudicabit is, qui à Ligurinis Momis abiens, nostra



P R Æ F A T I O.

hæc ad Critolai libram, cum ipsis Horatij Odis expendere velit. Vos igitur, viri Amplissimi, suscipite, quæ tamen vix ingenio vestro digna, utpote quibus maiora debeantur. Attamen plena melica amœnitate nemora non solum flexanimes philomelas: sed cuiuscunq; generis cantillantes auiculas excipiunt. Et Archesilaus Rex raucos aliquando & inamœnæ vocis aut balbutientes audire homines exoptavit, quo attentius postea facundos audiendo, plus caperet oblectamenti. Olim apud Athenienses cautum erat, ut nulla fabula exploderetur, quæ primùm exhibebatur, quod primo conatui fauendum esse judicarent, Et scribunt frugales Hecates non aspernatum fuisse Thesea. Herôis huius exemplo vos opellam hanc amplectimini, mihi fauere pergite, ac bene & feliciter valete. Scrib. Hirschbergæ ex Museo apud vos in patria Kalend. Iulij, Anno æræ Christianæ CIO. IO. CI.

U. A.

addictissimus

B. Exnerus.

B. Ex-





B. EXNERI  
in  
LIBRVM SECVNDVM  
*Carminum Horatij Parodiae.*

Parodia I.

AD  
M. PANCRATIVM  
KRETSCHMERVM REIP.  
Hirschbergens. Con-  
sulem.

*Gratulatur ipsi de consulatu, & laudat  
eum à peritia juris. Cui laudationi honores  
patriæ adiungit.*



*Lauum Ermerico à Consule Ciuicum,  
Vrbisq; fasces, & Themis, & Dicen,  
Legesq; Adrasteæ, grauesq;  
Litigij salebras, & acta*

*Dudum implicatis aucta molestijs,  
Laboriosæ plenum opus aleæ  
Tractas: & incedis per ora  
Squalidiora odio doloso.*

A S

Semper



LIBER SECVNDVS

Semper malignæ panalientiae  
Crescat theatris: mox, ubi publicas  
Res ordinâris, grande munus  
Cofocio dabis Ermerico.  
Insigne maestis auxilium reis,  
Et consulenti, Kretschmere, Curia:  
Cui Pallas aternos honores  
Iuridico peperit triumpho.  
Iam nunc sagaci famine linguae  
Perstringis aures, jam calami notant:  
Iam mater Astræ ioueas  
Monstrat opes, superûmq; vultus.  
Audire priscos, jam videor Patres.  
Non indecoro funere mortuos:  
Et cuncta monstrorum subacta  
Præter atrocem animum Molossæ.  
Iuno & Deorum quisquis amicior  
Hirichbergæ, adauctâ fugerat insolens  
Virtute: doctrinæ recessus  
Obtulit induuium Themisti.  
Quis non Dicoo iura celebrior  
Civis tabellis iusta repagula  
Testatur, auditumq; Gallis  
Slesiaci titulum Senatus?  
Qui gurges aut que flumina patriæ  
Ignara terræ? que loca litteræ

Non



Ethopœiæ Horatiæ

Non pertrigunt Kicicn cronas  
Quæ caret oia decore nostro

Sed me relicta Musa grauis jocus,  
Sacrum retractes dogmata iurum:  
Mecum paterno sub recessu  
Quære saes lenore chorda.

Parodia II.

AD

HENRICVM CLINGE-  
RIVM DE ABIETO I.C. ET  
Poëtam nobilem.

Lauream coronam multum tribuere ho-  
noris cuiq; Poetæ dicit: laudatq; ois eandem  
aliquot Vatribus eum beatum esse iudicat,  
qui eandem impetrat



Nullus heic Vati decor est tenebris  
Abdito furuis, adamice Phœbi  
Chare Clingeri, nisi laureato  
Splendeat ore.

Vinet extento Ludovicus auro,  
Notus in Musis animi probati:  
Illum agec lauro metuente carpi  
Fama superstes.

Lariùs



LIBER SECVNDVS

Latiùs viuas, Clariam gerendo  
Lauream, quàm si Sophiam seueris  
Legibus iungas: & honora Pallas  
Serniat vni.

Crescit euergens sibi sacra laurus:  
Et situm vitat, modò frux corollæ  
Texerit crines, & amicta veste  
Diute scripta.

Additum Phœbi solio Melissum,  
Dissidens morti, numero cadentium  
Eximit laurus: Clariosq; bardis  
Dedocet vii

Vocibus: vitam & diadema tutum  
Deferens vni, propriamq; laudem,  
Quisquis Ascræas animo irretorto  
Gestat abollas.



Paro-



Ethopœiæ Horatianæ.

Parodia III.

In Nuptias

HIEREMIÆ LEISCHIGERI  
BREGENSIS I. U.  
Candidati,

&

ROSINÆ REIMANIÆ,  
HIERON. REIMANNI

I. U. D. & Scabinatûs apud Vratisl.  
Archiscribæ olim, filiæ.

*Non cœlibem vitam agendam, sed vxorem  
ducendam esse ait*

**R**

*Olam memento Palladi Doricæ  
Præferre Sponsâ, non secus & Themis  
Ab insolenti segregatam  
Byllide, consociande amice,*

*Seu virgo multo tempore vixeris,*

*Seu te in lyceo diuite per dies*

*Festos coronatum bearis*

*Commodiore nota Themistos:*

*Qua Diua Cypris, Iunoq; Cinxia,*

*Letum hospitalem consociare amant*

*Plumis, & ignitis laborat*

*Pulcer Amor superare parmis.*

Huc



LIBER SECVNDVS

Hu strata, lecti sternia & albidam  
Lodicem amara ferre iube Rosa:  
Dum res, & atas, & Themista  
Iura sacra patiuntur alma.

Viues Rosina vultibus & tholis  
Spondaq, mites quam Charites colunt:  
Viues: & extructis in altum  
His thalamis orietur haeres.

Cultusne, Diuo doctus Apolline,  
Mutum interest, an barcus & infima  
De genere sub lecto quiescas,  
Gratia Reimania Rosinae.

Omnes maritas posumus, omnibus  
Speratur artha: seruis, ocyus  
Sors exitura, & nos ad augen-  
dam jobolem imponitur lecto.



Paro-



Ethopœiæ Horatianæ.

Parodia IV.

AD

M. MARTINUM BRASCHIVM P. L. ET ACAD. ROSTOCH. Professore, suum olim Præceptorem,

*In obitu*

DAVIDIS CHYTRÆI S. THEOL. DOCTORIS, ACAD. dictæ Professoris & Historici excellentis, sui iidem Præceptoris.

*Non esse quod lugeat huius obitum, cum idem nuper viri doctissimi & Poëtæ clarissimi experti fuerint, nobisq; omnibus idem expectandum sit.*

**N**E Chytræi sit tibi mors dolori,  
Nobilis Braschi, prius occidentem  
Viderat fratrem tacito dolore

*iste Nathanem:*

Parca Lindbergum Historia creatum  
Sustulit, Phœbi socium parentis,  
Occidit Maior tremula in senecta,  
*Morte beata:*

*Lite.*



## LIBER SECVNDVS

Literæ postquam rediëre prisca,  
Taubmano Ductore, & amica Pallas  
Reddidit sacris Heliconæ visu  
Dulce Camænis.

Nescias an te sobolem supernus  
Aurei cæli cupiat Iehoua,  
Entheum certè genus & Poëtas  
Curat Iesus.

Crede non illud tibi de obligata  
Mente promissum: neq; sic perenne  
Sic malo auersum potuisse linqui  
A Ioue summo.

Spiritum & Christum, superumq; Patrem  
Integer canto. fuge suspicari,  
Cuius annetum trepidat Triparca  
Rumpere filium.





Echopœiæ Horatianæ.

Parodia V.

A D

DIVVM RVDOLPHVM

II. ROM. IMP. CÆS. AVG.

Germ. Hungar. Boëm. &c.

Regem, &c.

*Petit lauream, & Insignia Poëtica*

M. Calpurni Conrado Vratisl.

Medico.



*Vdum probata ferre decus meret  
Virtute: dudum seruula Cæsaris  
Gestare, vel Phœbi colentis  
Laurigeros decorare sceptrum.*

*Circa politos est animus sui*

*Tholos cerebri, nunc modulis tuam*

*Cantantis aulam, nunc Thalia*

*Viuere cum Clarijs theatro*

*Prægestientis, mitte corollulam*

*Vati petenti: jam tibi Hiantios*

*Dicabit ornatus sonores*

*Castalio celebris triumpho.*

*Iam te rogabit. poscit enim bonus*

*Vates: & auo, quos tibi scripserit,*

*Versus sacrabit; jam suâni*

*Voce canet facilis Rudolphum.*

b

Poeta,



## LIBER SECVNDVS

*Poeta, quantum Carolides meus,  
Et Gisbice: aucto sic animo miens  
    vt doctus Ascræis venidet  
    Bilo jugis, Danielque Vechner:  
Quem si Roetarium infereres choro,  
Mirè sagaces falleret Aquas  
    Discrimen obscurum, canoris  
    Versibus, æonioq; plectro.*

### Parodia VI.

AD

MELCHIOREM SYS-  
SEBACHIUM, CIVEM HIRSCH-  
bergæ patritium, cogna-  
tum suum.

*Ipsius ædium & Hirschbergæ clarita-  
tem commendat, & in hac saltim, si non in illis  
possit, se libenter cum ipso extremum  
vitæ tempus peracturum  
dicit.*



*Elchior, Musas soniture mecum, &  
Pallada edoctam juga ferre nostra, &  
Civitas leges, vbi nostra semper  
Patria claret.*



Ethopœiæ Horatiana.

Limen a vestro positum parente,  
sit meæ sedes vicinam iuventa :

Sit modus lassæ studiꝝ & viarum,  
Litigijq̃.

Vnde si fatum prohibet sinistrum,

Dulce Cyrrhais socijs Boberi

Eumen, & clarata colam Senatûs

Numina sancti.

illa terrarum mihi præter omnes

Ciuitas ridet. vbi non Themistæ

Iura decedunt, Phrygiæq̃ certat

Suada Sophia :

Templum vbi sanctum, sapidosq̃ præbet

Iesulus mystas ; & amica Pallas

Auræ Astræ, minimum Pragenis

Inuidet aulis.

Ille te mecum locus & beatæ

Nutriunt ædes : ibi tu misellum

Debito condes tumulo cadauer

Vatis amici.





LIBER SECVNDVS

Parodia VII.

AD

IOANNEM ALBERT-  
TVM REIP. HIRSCHBERG.  
Senatorem.

*Dicit se plurimum delectari eius collo-  
quio & conuersatione.*



*Sapè mecum noctis ad horulas  
Versate, Phæbo colloquij Duce,  
Quis te salutavit Dynastam  
Lys, Clarys, patrioq; cælo,*

*Iane ô meorum primæ Quiritium?  
Cum quo morantem sapè diem legis  
Fregi, coronatus nitentes  
Tærio strophio capillos.*

*Tecum Camanas & celebrem chelyn  
Sensi, relicta non malè Pallade,  
Cum culta virtus, & sagaces  
Grande decus tribuere Rostris.*

*Sed me per artes Melpomene cita  
Pennis canentem sustulit aureis:  
Te prorsus in leges resorbens  
Suada pligis tulit æstuosis.*

*Ergo*



Ethopœiæ Horatianæ.

Ergo obligatam redde Themi dapem :  
Longuq̄ fessum litigijs caput  
Depone sub villa tua : nec  
Parte bonis tibi destinatis.

Oblivioso jurgia pectore  
Forensia arce : prome politulis  
Commenta de labris. quis Vrbe  
suppeditare mihi libellos

Curatve Iano : quem Sophiæ arbitrum  
Dicet loquendi ? non ego parcius  
Profabor Astræa : reuiso  
Dulce mihi canere est amico.





LIBER SECVNDVS

Parodia VIII.

AD

DANIELEM VECH-  
NERVM, P. L. ET SCHOLÆ  
Goltberg. Profes-  
sorem.

*Gratulatur ipsi de liberatione à maligna  
febri, & de Professone in schola  
patria.*

**V**la si juris tibi nigricantis  
Lancea, ô Vates, nocuisset vnquam:  
Fronte si fusca fieres vel vno  
Turpior vngui:

Plangerem, sed tu, simul explicasti  
Fortius febris caput, enitescis  
Pulchrior multo, iuuenumq; prodis  
Publica cura.

Expedi Phœbi validas medelas  
Sumere, & iunctis benesana Hygeæ  
Donc cum plantis, salubri & Galenam  
Arte valentem.

Laudas



Ethopœiæ Horatianæ.

Laudat hoc (inquam) Themis ipsa, laudant  
Sedula Musæ, Clariusq; Phœbus,  
Semper insignes relevans Poetas  
Mente benigna.

Adde, quod laurus tibi sacra crescit:  
Fausitas crescit nova: nec Camœnæ  
Subditæ laudes Jobolis relinquunt,  
Sæpè rogata.

Te suis matres cupiunt juventis,  
Te boni patres: patruq; nuper  
Conditi ludi, tua quò reformet  
Cura pueltos.





LIBER SECVNDVS

Parodia IX.

AD

M. PANCRATIUM

KRETSCHMERVM REIP.

Hirschberg. Con-  
sulem;

*In obitu*

CATHARINÆ SCHÖNIÆ;  
eiusd. coniugis desideratis-  
simæ.

*Hortatur eum, ut huius obitum aliquan-  
do tandem flere desinat.*

**N**on semper auræ flatibus vuens  
Uexant racemos, aut viridaria  
Turpant inæquales procellæ  
Vsq; nec Elysijs in agris.

Kretschmere Consul, stat glacies iners  
Menses per omnes: aut lapidum imbribus  
Frumenta Slesorum necantur,  
Et folijs viduantur horti.

Tu semper vrges lucificis modis  
Vxorem ademtam: nec tibi vespero

*Surgen*



Ethopœiæ Horatianæ.

*Surgente decedunt dolores,  
Nec roseum fugiente solem.*

*At non Adamus primus amabilem  
Ploravit omnes Coniugem Evam pater  
Annas: nec uxorem Iacobus  
Rachelin, & Iacobi nepotes*

*Luxere semper. desine tristium  
Tandem querelarum: & potius pia  
Cantemus exundantæ trophœæ  
Coniugis & feretrum beatum,*

*Mentemq; sanctam mentibus additam  
Divis, beatas scandere Curias:  
Intraq; præscriptum maritam  
Lucidulis residere sellis.*



b s

Paro-



LIBER SECVNDVS

Parodia X.

*Ad funus*

CATHARINÆ SYSSSE-  
BACHIAE, PVLLAE VENV-  
STISSIMÆ;

M. Pancratij Syfsebachij, Reip.  
Hirschberg, senatoris & syndi-  
ci, filiae desideratiss.  
simae.

*Caelum esse hospitium tutissimum.*

**S** Anctius viues, Catha is, neq; Orbem  
Semper ardendo: neq; dum rebelliam  
Lata suspiras, nimium premendo  
Compita terra.

Caelicam quisquis sibi Ciuitatem  
Deligit, totus caret aestuantis  
Ignibus Diuis, caret au terna  
Morte beatus.

Sapius Diris agitur audax  
Saulus; Et vni grauiore poena  
Desiciant bergi: seruiuntq; stultum  
Numina caelum.

*Sperat*



Ethoppœiæ Horatianæ,

Sperat his terris, reperit sub altis  
alteram vitam benè præparatum  
Pectus, æternos titulos ministrat,  
Iesulus, idem.

Denegat, non si benè nunc, & olim  
Sic erit, quondam vitis scitentem  
Iudicat mentem, neq; semper aurem  
Præbet Ioua.

Cœlicos hortos animosa & vsq;  
Fortis intrato: sapienter illic  
Colliges Christo nimium benigno  
Texile sertum.



Paro-



LIBER SECVNDVS

Parodia XI.

Super Exsequias

MELCHIORIS à RE-  
DERN, LIBERI BARONIS IN  
Eridland, Reichenberg & Seiden-  
berg, &c. Equitis Aurati & Divi Ru-  
dolphi II. Rom. Imp. Cæs. Aug. &c.  
Coniliarij ac Senatus in consilio bel-  
lico Præsidis, atq; Exercituum  
in Hungariâ Ducis  
supremi.

*Satiùs moriendum esse Deo, quàm fati-  
gandum animum curis peccati & fu-  
roris Diabolici.*



*Quid milleformis Cerberus, & Charon,  
Redere Baro, cogitet, ætherâ  
Diuisus obiectâ, remittas  
Querere: nec fugias Olympum*

*Christi beantis quæq; fugit retrò  
Crudelis Alecto, atq; Hecate, pia  
Peliente lethæos colubros  
Prole DEL tragicasq; Diras.*

Non



Ethopœiæ Horatianæ.

Non semper idem Mortibus est acor  
Nigris, neq; vno Divus-homo beat.  
Modo: quid Orciuis beatum  
Igniculis animum fatigas?

Cur non sub aula vel supera, vel hac  
Ora cubantes sic temerè, & fide  
Sanctos coronati capillos  
Dum licet, æthereoq; amore,

Cantamus aucti? delet Iesulus  
Labes Eneas. quisnam homo doctius  
Laudabit æterni parentis  
Atria cœlipetente lingua?

Quis blandulam vxorem eliciet solo  
Tuam? vnico dic age filio  
Maturet, æternam, mariti  
More, fide petitura sedem.



Paro-



L I E R S E C V N D V S

Parodia XII.

A D

A M A N D V M P O L A -  
N V M a P O L A N S D O R F S. T H E O L.  
D o c t o r e m & A c a d. B a s i l i e n s i s  
P r o f e s s o r e m.

*In obitu*

V V e n c e s s a i L a v i n i j a b O t t e r s -  
f e l d, P h i l. & M e d. D o c t o r i s a t q; i l l u -  
s t r i s i m o r u m D n n. a R o s e n b e r g  
& c. A r c h i a t r i.

*Monet ne in Adfinis sui obitu nimium  
lugeat. Fore namq; ut & ipse lubens ex hac  
miseriarum valle abeat.*

**N** O l i s m a s t a t u i f a t a L a v i n i j, (z i u t,  
N e c P e t r u m M o n a v u m, n e c q u o q; S c h o l -  
S i s o p e r c e l e b r e m t e r m i t e, l e s s i b u s  
L u g e r i p a t r i a e n o u i s.

*Nec priscos Medicos, nec salubrem manu  
Oslevvum, & madefactos Clario vado  
Medela socios, vnde decentiam  
Fugens promeruit domus.*

*Silesæ*



Ethopœiæ Horatianæ.

Silesæ patriæ, iugq; lubentibus  
Adibus pedibus culmina cælitum  
O solane breui, claraq; per polum  
Sanctum tecta parentium.

Me dulces Domini Gratia Iesuli  
Sedes, me voluit poscere plurimum,  
Benignos oculos, & bene mutuis  
Fidum pectus amoribus.

Quem nec ferre pedem dedecuit polo,  
Nec certare neci nec stygia vincere,  
Pugnantem stygijs Principibus, stato  
Pecca i domiti die

Num tu, quæ tenuit Dido Sitchœia,  
Aut pinguis Latia Iuliacas opes,  
Permutare velis luminis Iesuli?  
Plenas aut Silesis domos?

Dum promptas miseris præbet homullulis  
Manus, aut facti i seuitiâ negat,  
Quis credente magis gaudeat expeti,  
interdum rapere occupet.



Paro-



LIBER SECVNDVS

Parodia XIII.

IN

*Parodias Horatianas*

M. HENRICI MEIBO-  
MII, POETÆ CÆSARII ET  
Acad. Iulix Professoris.

*Commendat librum Parodiarum, inde  
probat non nocere que leguntur: & interdum  
etiam, quosdam legere, quæ non ad suam per-  
tineant facultatem. Tandem dicit parum abesse,  
quin veteribus Poëtis noster comparandus  
sit, quorum Carmina etiam Phœbus  
& Musæ admirantur.*



*Ille & beato te genuit die,  
Quicumq; primùm & sacrificiâ manu  
Dedit libelle, in nepotum  
Consilium, auxiliumq; mundi.*

*Illum & Thalia crediderim sacra  
Hauisse virtutem, & penetrata  
Pinxisse Cyribo colore A-  
pollinis: Ille lycea quæq;*



Echopœiæ Horatiæ.

Et quicquid usquam conspicitur decus,  
Lustravit: ori qui statuit meo  
Te grande lumen, te paratum  
In Domini decus exigentis.

Quid quisq; voluat, nunquam homini malè  
Nolet, per ætum. Scyria Apollinem  
Pallas perardescit, neq; ultra  
Falsa refert aliunde corda:

Dice medelas & placidam Chelyn  
Phœbi: Themistam Phœbus, & aureas  
Leges: sed invidenda Clivis  
Vis cupit cupietq; Vates.

Quàm penè vena metra Maroniæ,  
Atq; edolatum vidimus Ennium,  
Furtumq; descriptum puella, &  
Aonijs fidibus querentem

Nasonem agellis de popularibus:  
Et te canentem plenius aureo  
O Flacce plectro larga morum,  
Larga genti bona, larga ruris.

Strumq; cresso digna lapillulo  
Miratur orbis dicere: sed magis



LIBER SECVNDVS

Pugnas & insignes triumphos  
Densum humeris bibit aure vulgus.

Quid mirum? ubi illis Carminibus stupens  
Demittit altas turba nouenula  
Aures, & exacta lyceis  
Phœbicolūm reuebuntur artes?

Quin & Camœne, quin Clarius pater  
Dulci metrorum prolicitur sono:  
Nec curat Euterpe cicutas,  
Aut lepidas iterare chordas.





Ethopœiæ Horatianæ.

Parodia XIV.

A D

IOSEPHVM LAN-  
GIVM P. L. ET SVPRMÆ CV-  
riæ scholarum Argentinensium  
Præfectum.

*Cum artes liberales sint inextinguibiles,  
monet vt post Florilegium suum alios  
etiam libros edat.*

**E**Uax sagaces, Iosephe, Iosephe,  
Reduntur artes: nec ruditas moram  
Musis & adstanti Minerue  
afferet, indomitoq; Phabo.

Non si tricenis, quotquot eunt dies,  
Iosephe, plectas indomitabilem  
Apollinem hastis: qui ter amplam  
Barbariem, Furtasq; sorti

Compescit ausu, scilicet omnibus  
Quicunq; Phæbi nomine scribitur,  
Est edomanda: siue juris  
Seu Sophiës erimus coleni.



LIBER SECVNDVS

Semper rapaci Dite carebimus,  
Truciq; tetra Barbariæ manu:  
semper per hunc Orbem magistras  
Gymnasij recolemus artes.

Vouendus Orbi floribus aureis  
Libellus ardens, & genij decus  
Celebre, longoq; edolata  
Anthologia decens labore.

Pallas tuenda est, & Medica & pia  
Dice: neq; harum, quas colis, Aönium  
Te, præter immites Sorores,  
Vlla bonam sobolem relinquet.

Vulgabit hæres Βιβλια patris,  
Conscripta centum noctibus: & libro  
Dicabit hunc mundum patentem  
Florilegâ potiore palma.



Paro-



Ethopœiæ Horatianæ.

Parodia XV.

AD

MELCHIOREM TILE-  
SIVM, REIP. HIRSCH-  
berg, Senatorem.

*Barbariem jam propagari.*



*Am pauca doctis munera debite  
Urbes relinquent: vndiq; latius  
Extenta visentur politis  
Barditholis: ruditasq; tetra*

*Evincet artes. Barbaries ita, &*

*Alecto, & omnis copia noctium*

*Spargent sacris Musis tenebras,*

*Vulibus teneris puellis.*

*Tum pulcra ramis laurea plurimos*

*Sentisces ictus. non ita Spiritus*

*Trascriptum & aterni parentis*

*Auspicijs, sobolũq; norma.*

*Inulsus illis cultus erat brevis,*

*Cordatus, altus. nulla dolis malis*

*Persuasa Museis inertes*

*Curia suscipiebat oculos:*

*Nec eruditum spernere amicum*

*Leges sinebant, optima publico*



LIBER SECVNDVS

*Summū iubentes & bonorum  
Scripta pio decorare castu.*

Parodia XVI.

AD

DIVVM RVDOLPHVM  
II. ROM. IMP. CÆS. AVG.  
Germ. Hungar. & Boëm. &c.  
Regem, &c.

*Pacem optari & liberationem à tributis  
in Suesiâ: ea verò non nisi deuictis  
Turcis impetrari.*



*Cum Iouam rogat in Silesio  
Pressus escleto, simul æs petiitum  
Exiit cistas, neq; larga crescunt  
Horrea campis:*

*Ocium sensu hoc onerata mater,  
Ocium gnati loculis carentes:  
Cæsar, haud curis neq; vocibus ve-  
nale nec arte.*

*Non enim Daci, neq; militaris  
Summouet Turcus miseros tumultus  
Martis, & pilas laqueata circum  
Teeta volantes.*

*Viuitur mundo malè, cui paternum  
Horret in mensa vacuâ salinum:*



Ethopœie Horatianæ.

Et leues somnos timor aut egestas  
Sordida rumpit.

Quid nouo nudi ligurimus auro  
Cuncta? quid terras valide fluentes  
Marte seruamus? patriæ quia autor  
Se quoq; seruat?

Vertit æratas furiosas Vrbes  
Turca: nec turmas iuuenum relinquit,  
Savior Parris, & habente viros  
Sænior angui.

Fortis in præsens animus, quod ultra est  
Oderit sperare: & amara multo  
Transfuget nisu. nihil est in isto  
Orbe perenne.

Abstulit clarum cita mors Rederum,  
Pila Schwarzburgum necuit dolosa:  
Et mihi forsân, tibi quod nequibit,  
Porriget hasta.

Te Duces centum, validaq; circum  
Obserant turmæ, tibi tollat hinnitum  
apta quadrigis equa, te bis auctis  
Turribus altæ

Muniant arces: mihi parua tecta &  
Spirantum sacre tenuem Camœnæ  
Ioua non mendax dedit, & profanum  
Spernere vulgus.



LIBER SECVNDVS

Parodia XVII.

AD

THOMAM VVEINRI-  
CHIVM, ECCLESIAE PATRIAE  
Hirschbergensis Pastorem, & vi-  
cinarum Inspectorem.

*In morbo*

Balthasaris VVeinrichij, adoles-  
centis florentissimi; eiusd. filii  
li, chariss.

*Tantum esse inter se & filium σοφῶν δι-  
cit Pater, ut eum animi sui partem existi-  
met, sine qua vivere nec possit  
nec velit.*



*Ux me dolore hoc exanimas tuo?  
Nec matri amicum est, nec mihi, te prius  
Obire, mi filii, mearum  
Dulce decus, columenq; rerum.*

*At te mei si partem animi necat  
Crudelior nex, quid moror altera,  
Nec sanus aequè, nec superstes  
Integer? ipse Deus parentes*

*Ducet*



Ethopœiæ Horatianæ.

Ducet prius nos ; non ego perfidam  
Scripsi voluntatem. Ibinus, ibimus,  
Ut cumq; præcedes, supernos  
Visere agros Comites parati.  
Me nec Cathedræ gratia traditæ,  
Nec si virescat perpetuum decus,  
Tardabit unquam, sic sacro  
Spiritu, placitumq; Christo.  
Seu Ioua, seu me Iesulus auocat  
saluator Orbis, vis celebratior  
Natalis horæ, seu supernus  
Spiritus astriferi theatri.  
Vtrumq; nostrum incredibili modo  
Labascit auum. te rigida DEI  
Tutela Morti jam resurgens  
Eripiet, volucrisq; fati  
Tardabit alas, sic populus frequens  
Latum crepabit mox Epinicion :  
Me morbus infestus cerebro  
Sustulerat, nisi Christus ictum  
Dextrâ leuasset, cœlisonantium  
Custos virorum, reddere carmina  
Mentemq; votiuam memento :  
Nos patriam recolemus aram.



LIBER SECVNDVS

Parodia XVIII.

AD

DANIELEM VECH-  
NERVM, P. L. ET PATRIÆ  
Scholæ Goldbergensis  
Professorem.

*Se quiete & ingenio atq; mediocri honore  
contentum vivere dicit, istum autem com-  
mendat à venâ Poëtica & stu-  
dio juridico.*

**N**on lepor, neq; igneum  
Meo vigescit in tholo cerebrum,  
Non sales Hiantia  
Cingunt labellum Palladis rigatum

Vndulus: neq; Aönium  
Asserta proles Pegasus impetraui:  
Nec beatulam mihi  
Nescit celebris crollulam Themista.  
At quies & ingert  
Minuta dos est: parvulumq; magnus  
Me colit. nihil supra  
Deum laceffo: nec potentens lesurus  
Largiora postulo,  
Satis beatus aureâ quiete.

Pellitur



Ethopœiæ Horatianæ.

Pellitur malus ma'o,  
Omnesq; pergunt interire Momi:  
Tu polita carmina  
Cantas sub ipsa patria: & Sebethi  
Particeps, colis Themis:  
Orciq; Musis obstrepentis vrges  
Summouere limina,  
Magis locuples splendicantæ Cyntho.  
Quid quod vsq; Delphici  
Renellis horti flosculos, & vsq;  
Limites Hiantidum  
Ornas amicus? perditur suetas  
In labris gerens plicas  
Et Mornus & Dis, sordidasq; voces.  
Nulla certior tamen  
Sacræ Mineruæ sine destinata  
Aula te bonum manet  
Vatem, quid ultra poscis? æqua Delus  
Palladi recluditur,  
Phœbiq; socijs: nes Themista diues  
Pragicum Carolidem  
Seduxit auro capta, non Silesium  
Reusnerum, atq; Reusneri  
Genus sefellit: hæc amare Vatem  
Parnassus viretulis  
Vocata quin & haud vocata pergit.

Paro-



L I E R   S E C U N D U S

Parodia XIX.

A D

SAMVELEM FISCHE-  
RUM, PATRITIVM HIRSCH-  
BERGENSEM.

*Sibi fas esse illi gratulari de recens nata  
puerula Anna, quippe eâ nata maxi-  
mum latetur.*



*Nnam in calenti lumina lectulo  
Vide mouentem (credite posteri)  
Patremq; letantem chorosq;  
Filcheri generis canentes.*

*Euax! nouatâ mens calescit face,  
Plenoq; nymphae pectore plurimum  
Latatur euax! salue ô Anna,  
Salue hilari specienda fronte.*

*Fas Virg'nellans sit mihi Fische am,  
Annaq; matrem, patris & vberes  
cantare plausus, atq; pulcris  
Strata locis iterare strata.*

*Fas & beatæ Conjugis additum  
Lucinæ honorem, viscera & illius  
Disrupta non leni dolore,  
Annulæ & auxilium tenelle.*

Tu



Ethopœiæ Horatiana.

Tu flectis oculos, tu labra turgida:  
Tu Fischermis bellula, sub jugis  
Vultu coërces blandicello  
Dulcis aui sine fraude curas.

Tu, cum parentis corda, per omnia,  
Cohors Auerni plecteret impia:  
Diras retorsisti labelli  
Vocibus, egregiaq; malâ:

Quamquam loueis dignior atrijs,  
Christoq; dicta, & non sat idonea  
Mundo fereboris: sed vna  
Orbis eras media atq; cœli.

Te duxit insons Iesulus aureis  
Labris decoram, leniter atterens  
Gruas, & renascentis suâni  
Ore pedes tenuitq; palmas.



Paro-



LIBER SECVNDVS

Parodia XX.

AD

PANCRATIVM KRETSCH-  
MERVM, PANCRATII, CON-  
sulis Hirschberg, Fil, adolescen-  
tem florentissimum,

*In obitu*

Catharinæ Schönix, matris il-  
lius charissimæ.

*Vitam æternam sibi partam esse dicit  
Mater merito Christi, & se notam fore fœ-  
minis in cælo beatis.*

**N**on inquinatâ nec dubiâ ferar  
Fide imbecillis sub sociam scrobem  
Homo: neq; in terris morabor  
Tutiùs: Orcicolisq; maior  
Tumbam relinquam. non ego, calici  
Hæres theatri, non ego, quam vocas,  
Dilecte mi fili, peribo,  
Nec stygiâ cruciabor vndâ.  
Iam jam remittit crimina Iesulus  
Christus: loueum & ducor in atrium  
Beata: claranturq; leues  
Per digitos humerosq; nodi.

*Iam*



Ethopœiæ Horatianæ.

*Iam Christianis mista phalangibus  
Cernam sacrati lumina spiritus,  
Patremq; cœlestem redemptæ  
Filia, Olympiacumq; Christum.*

*Me Magdalena, & que peperit Deum  
Nostræ cohortis, Maria, & Ilaci  
Noscet Rebecca: & me genetrix  
Cernet Eva & S. Jome venusta.*

*Absint beato funere nenia,  
Planctusq; tristes & querimonia,  
Compesce lamentum ac sepulcrum  
Mitte superuacuos honores.*

F I N I S.




L I P S I Æ,

JACOBUS GVBISIVS  
excudebat,

TYPIS HÆREDVM ZACHA-  
RIÆ BERWALDI.

Anno M. D C. I.







444

AB 44 <sup>M</sup> / K,4

ULB Halle

3

002 680 319





